



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Dvbivm Breve Incidens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. I. In quo consistat distinctio, &c. 347

51 Non enim hoc obstat, quia etiam actio respectu Patris est denominatio extrinseca agenti, cum actio non subiectionetur in agente, sed in passio, & nihilominus est ratio fundandi relationem paternitatis in generante; item coexistentia in duobus locis est ratio fundandi relationem approximati, vel distantis, quæ relationes reales sunt in sententia Adversariorum.

52 Ad confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiam, quia ut dictum est non sequitur bene, Deus ab æterno actu non est creatura, Petrus actu non est actu Antichristus: ergo Deus ab æterno actu distinguitur à creatura formaliter, & Petrus actu, & formaliter distinguitur ab Antichristo, quare ut certissimum habendum est ex vi formalis negationis identitatis, rem non esse actu, & formaliter distinctam, licet sit non eadem; unde ad distinctionem requiritur ratio formalis actualis, & non sufficit negatio identitatis.

53 Ad tertium respondeo negando suppositum, nimirum quod aliqua distinctio actualis sit passio entis propter rationes supra dictas in probatione nostre conclusionis; unde hic non possumus quere in hac questione, nec villo modo, agere de distinctione, quæ sit passio entis, quia si hic agimus de distinctione actuali, & formali, & nulla distinctio actualis formalis est passio entis, ut retorquendo argumentum adversariorum probavimus: ergo nullo modo possumus hic agere de distinctione, ut est passio entis; unde tam suppositum maioris, quam ipsa maior falsitatis vitio laborant. Ad probationem autem maioris, dico quod licet verum sit, quod metaphysicus agat de passionibus entis, dum agit de bonitate, veritate, & unitate, non tamen esse verum semper, & in tota metaphysica agere de passionibus entis, id est non omnem materiam circa quam agit metaphysicus esse passiones entis, nam metaphysicus agit de possibilitate, de existentia, & subsistentia rerum, quæ non sunt passiones entis; item agit de causalitate causæ, de potentia obedientiali, & alijs, id genus, quæ minime sunt passiones entis, nonne metaphysicus agit data opera de prædicamentis, ubi nulla mentio fit de passionibus entis, & in prædicamentis certe disputat de prædicamento ad aliquid, in quo primum genus relationis est fundatum, inconvenientia vel disconvenientia, quas unitatem, & numerum vocat Aristoteles, relationes enim quæ fundantur in convenientia sunt identitatis, æqualitatis, & similitudinis, quæ vero fundantur in disconvenientia, sunt relationes oppositionis, diversitatis, & distinctionis, quæ maxime distinguuntur licet ab aliquibus distinguantur; nam relationes oppositionis habent pro fundamentis entitates, quæ ex natura sua pugnant inter se, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt, ut sunt entitas frigiditatis, & caloris in summo, relationes diversitatis fundantur in entitatibus, quæ in nullo genere conveniunt, ut albedo, & Deus, relationes autem distinctionis sunt, quæ habent pro fundamentis res quæ conveniunt sub aliquo genere, aut specie, ut sunt Petrus, & Ioânes, Equus & homo de his omnibus relationibus agit data opera per se, ac simpliciter metaphysicus, licet non sint passiones entis huiusmodi relationes: ergo bene potest agere metaphysicus per se ac simpliciter de distinctione formali actuali, quæ relatio actualis est, licet distinctio actualis formalis non sit passio entis.

R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tis, quibus corrumpit totum argumentum tertium adversariorum: minor illius, ac tres probationes talis minoris non sunt contra nos, sed potius pro nobis ut patet ex supradictis.

Ad quartum argumentum respondeo similiter illam rationem laborare falsitate suppositi, distinctio enim minime est passio entis, & sic falso supponunt adversarii dum dicunt distinctionem non esse distinctam passionem ab unitate, falluntur etiam ipsi adversarii in antecedenti illius rationis, dum dicunt distinctionem pertinere ad conceptum adæquatum unitatis, unitas enim complete, & adæquate sic debet definiri, unitas est entitas indivisa in se, dum autem dicitur, & divisa à quolibet alio, male procedunt, nam divisio ab alio non pertinet ad unitatem, ut patet ex dictis in tractatu de primo attributo entis, dum autem adversarii dicunt, quod si distinctio sit positivum, non posse esse passionem entis, sibi contrariantur, siquidem in sententia ipsorum, bonitas, & veritas sunt attributa entis, & consistunt in positivo, in quo ab unitate distinguuntur. Tandem falluntur asserendo distinctionem consequi ad ens in quantum ens, ut probatum manet supra in probatione nostre sententiæ, quia si per possibile, vel impossibile daretur unum tantum ens, non esset actu distinctum, & nihilominus haberet veram rationem entis: ergo distinctio, ut distinctio non sequitur ens in quantum ens, nec convenit omni enti, siquidem supra dictum unicum ens nullo alia præter ipsum existente esset proprie ens, aliquodque ubi non conveniret actualis, & formalis distinctio; unde nihil habet illa, ratione cuius possit esse attributum.

Ad ultimum argumentum conceditur maior, & negatur minor: ad confirmationem concedo maiorem, ad probationem nego minorem, quia non est nisi per relationem.

DUBIUM BREVE INCIDENTS.

Quid sit distinctio fundamentalis.

56 Prima conclusio: distinctio fundamentalis, seu potentialis non est negatio, sed ipsa entitas rei explicata per negationem alterius, à quo distinguitur. Probatur sic, quia res per illud idem est apta distingui ab alio, per quod constituitur in suo proprio esse, ut tale est: sed res constituitur in suo proprio esse non per negationem, sed per positivum: ergo distinctio illa aptitudinalis non est negatio formaliter, sed positivum. Maior est axioma apud Authores metaphysicos, quod corroboratur, & tueretur D. Thom. in primo, dist. 5. q. 1. & dist. 26. ubi asserit res à seipsis, & à seipsis formis tam physicis quam metaphysicis, & non per aliud distingui à quocunque, quod sic demonstratur.

57 Primo, nam si sit actualis vel formalis distinctio negatio, ut adversarii asserunt, si sit relatio, ut nostra fert sententia immediate in omnium sententia, fundatur, ac subiectionetur in ipsa entitate rei, sine aliquo medio, nam talis distinctio si sit negatio si sit relatio, convenit rei ex eo, quod talis entitas est: sed talis entitas est non per aliquod medium, sed per suum esse: ergo per suum ipsum esse immediate, ac per se recipit talem distinctionem actualem: ergo per ipsum esse est apta recipere talem distinctionem ac per consequens

consequens effectum formalem ipsius; nam quando aliqua causa exerceat actum secundum per suum ipsum esse, non est apta exercere illum per aliud esse distinctum, nisi per suum esse, v.g. quia anima rationalis per se ipsam recipit intellectum, ac per consequens effectum formalem intellectus, in actu primo non est capax, nec apta recipere talem effectum per aliud esse distinctum à seipsa; unde per seipsam est radicaliter apta ad intelligendum, & idem est in materia, ut videre licet in physicis, quæ non est apta in actu primo ad recipiendam formam substantialem per aliud esse distinctum à se, quia in actu secundo non recipit formam per aliud esse à se distinctum: sed res immediate, & per suum esse recipit distinctionem actualem formalem: ergo non est apta recipere talem distinctionem per aliud esse distinctum à se, ac per consequens non erit apta ad recipiendum effectum formalem illius distinctionis; similiter per aliud esse; atqui effectus formalis distinctionis est distingui ab alio, sicut effectus formalis differentie differt ab altero: ergo per ipsum suum esse res est apta distingui ab alio: sed apta distingui, est distinctio potentialis, seu aptitudinalis, sicut fundamentalis distinctio est esse fundamentum immediate in se fundans distinctionem, ut de facto unaquæque res per suum esse fundat immediate illam: ergo unaquæque res per suum ipsum esse est potentialis, seu fundamentalis distinctio; secundo probatur idem, quia res per id, per quod constituitur in proprio esse, constituitur in esse non communi multis: sed illud, quod non est commune, est differens, & distinctum à quolibet alio cui non est commune: ergo per illud, &c. Itē, quia res constituitur in proprio esse per differentiam: sed per differentiam constituitur in distincto esse à quolibet alio: ergo. Minor sic probatur, quia eo modo constituitur aliqua forma, quo est, ut albedo constituit in esse albi, nigredo in esse nigri: sed differentia est propriissime talis: ergo constituit in esse differentis, quando constituit in esse proprio realiter: sed esse differens realiter est esse distinctum realiter; ergo per differentiam per quam constituitur in proprio esse, v.g. Deus à Deitate in esse Dei; homo à rationalitate in esse rationalis constituitur in esse distincti realiter, à quolibet alio. Minor est evidens, quia Deus constituitur Deitate in proprio esse Dei, & homo rationalitate constituitur in proprio esse hominis; sed Deitas, & rationalitas non sunt negationes, sed positivæ perfectiones, cum Deus, & homo, qui constituuntur ab illis propriis, ac simpliciter in tali esse formaliter sint entia positiva.

38 Confirmatur, nam entitas propria, quæ est subiectum illius negationis, aut relationis, quæ distinctio formaliter dicuntur, prior est quam ipsa negatio, seu relatio, quia negatio dependet in esse, & cognosci ab ipso positivo ente in quo fundatur, & ad illud consequitur: atqui fundamentum est prius ratione fundata in ipso, & id quod dependet est posterior illo, à quo dependet: ergo prius est ipsum positivum, quam negativum, & sic prius intelligitur, & est organum visus quæ cæcitas, prius aëre quam tenebræ in ipso aëre fundatæ: ergo prius intelliguntur in Angelo, & Deo entitates, quam negationes fundatæ in ipsis: ergo prius intelliguntur duæ entitates capaces relationis distinctionis immediate in se; relatio enim quia positivum est, non fundatur in negativo

quam ipsa negatio, quæ consequitur ad entitates Dei, & Angeli: ergo Angelus, & Deus distincti fundamentaliter intelliguntur ex vi suarum entitatum ante quancunque negationem, aut relationem, in quibus formaliter consistat actualis distinctio.

Ultima conclusio: positiva entitas formaliter distinguitur à suo contradictorio, quod est negatio sine aliquo addito per suam ipsam entitatem, & probatur, quia contradictoria opponuntur, & excluduntur immediate inter se sine aliquo medio, quia ut definitur, contradictio nihil aliud est quam maxima, & immediata oppositio: sed si per aliquod additum distingueretur positiva entitas à contradictorio, opponerentur, non immediate, sed mediante illo addito, præcipue cum illa oppositio non sit positiva, sed negativa, quia unum positivum est aliud à negativo, positivum enim immediate, & ex se, quatenus positivum est, est aliud à negativo, quia non est suum contradictorium: ergo positivum immediate sine aliquo addito distinguitur à suo contradictorio.

Vergetur, quia tam immediate opponitur negativum contradictorium positivo, quo positivum negativum, quia ex parte utriusque est oppositio contradictoria; unde ex parte utriusque immediata, & maxima, & non cum aliquo addito, & medio: sed negativum non opponitur per aliud negativum cum aliud sit tam negativum sicut ipsum: ergo positivum non per aliud, sed per se ipsum distinguitur à negativo contradictorio. Probatur, quia per illud distinguitur positivum à negativo, per quod opponitur illi, sine aliqua convenientia, quia hæc oppositio seu distinctio est maxima omnium oppositio; unde maxime debent disconvenire sine aliqua convenientia, & ideo solet dici communiter, quod à duobus contradictorijs, non potest abstrahi aliqua ratio intrinseca, quia omnis abstractio fundatur in convenientia duorum, cum autem nulla sit convenientia inter duo contradictoria, non poterit dari abstractio ab illis, & etiam ideo illud principium, quodlibet est, vel non est; impossibile est idem simul esse, & non esse, sunt prima, & ultima principia, supra quæ non datur aliud principium abstractum, quia efficiuntur, & constant terminis contradictorijs immediatis sine aliqua convenientia, sed positivum sine convenientia opponitur negativo, non per negationem, quia negatio, & negativum, id est duæ negationes conveniunt, sicut duo entia positiva: ergo per suum ipsum esse distinguitur à negativo, & non per negationem immediate. Tandem, quia positivum non potest dicere relationem prædicamentalem formalem respectu negativi, quia semper ponitur pro termino relationis apud omnes, dum loquuntur de relatione prædicamentali entitas actu, & realiter existens proprie, & absolute existentia: sed negativum, ut negativum, quod est contradictorium positivi, non existit existentia propria absolute, quia illud quod non est absolute, imo est non esse, non potest existere, & habere esse.

Confirmatur evidenter, quia res superioris ordinis, non potest dicere relationem prædicamentalem, nec convenientiam, nec distinctionis, nec diversitatis (voco res superiores, & inferiores eas inter quas solet dari communiter analogia apud Thomistas, ut sunt Deus & creatura, substantia & accidens, res & modus, & præcipue,

Quæst. II. Quotuplex sit distinctio &c. 349

pue, ac principaliter positivum, & negativum, inter quæ adhuc propria, & vera analogia negatur, & ideo non potest abstrahi ratio aliqua communis ab illis ad rem inferioris ordinis: sed positiva entitas est res superioris ordinis, respectu negationis, ut patet ex dictis in parentesi, magis enim distat negativa ratio à positiva, quam accidens à substantia, quam inter accidens, & substantiam datur convenientia intrinseca univoca in ratione entis, & saltem analogica intrinseca in communiori Thomistarum sententia, & ideo potest abstrahi ratio communis entis, ab accidenti & substantia, quæ non datur præcisa à positivo, & negativo, ratione carentiæ convenientiæ inter illa: ergo positiva entitas non potest dicere relationem realem ad negationem, cum sit superioris ordinis respectu illius, ut patet ex dictis in *proximalibus metaph.* cum egerimus de subiecto illius.

Ultimo probatur hæc sententia omnibus argumentis quibus id ipsum probavimus agendo de unitate.



QVÆSTIO II.

Quotuplex sit distinctio, & quæ signa repellantur ad illius cognitionem.

PRIMA conclusio: duplex datur distinctio, una realis, & alia rationis; distinctio realis est, quæ à parte rei datur sine fictione intellectus, & ut alij aiunt, quæ à parte rei vere existit, quia ens reale est quod est aptum ad existendum à parte rei, cum autem hæc distinctio sit vera, & realis sine fictione optime videtur definiti per existentiam à parte rei; distinctio rationis est, quæ per fictionem intellectus fabricatur, vel quæ solum obiective existit in intellectu; de hac longius agemus in hac *disputat.* postquam de distinctione reali in tota sua latitudine egerimus.

Secunda conclusio: distinctio realis ut sic, solum dividitur in distinctionem realem absolutam, & in distinctionem modalem, seu ex natura rei, quia distinctio realis ut sic est superior, ut diximus ad utramque distinctionem; utraque enim vere existit à parte rei, sine aliqua fictione intellectus; hæc est adæquata divisio, ita ut non sit alia distinctio præter istas duas, ut male asseritur ab Scotto dum concedit distinctionem formalem; quod autem nulla sit alia præter istam, & quod fictitia debeat iudicari distinctio Scotistica longissime demonstratum manet *disput. 2. metaph. in Logicis, disp. de differentia.*

Quod autem datur vera, & realis distinctio in rerum natura, nullus est qui dubitet, est enim res adeo clara, ut qui illam de medio tolleret, & Universi huius pulchritudinem, varietatem, ac venustatem omnino everteret, & sibi ipsi iniuriam inferret, persuadendo sibi, quod neque in insanorum hominum existimationem venire posset; constat enim in rebus ipsis reperiri numerum, & multitudinem, quorum neutrum consurgere posset, nisi ex unitatibus inter se realiter distinctis; deinde corruptis pluribus, plura etiam adhuc persistunt, quod sine reali distinctione non posset contingere; insuper certum esse debet res quæ sunt inter se semel distinctæ realiter, neque divinitus idem-

tificari posse realiter, neque quæ semel idem sunt realiter posse distingui realiter, quod esto natura constet lumine, tamen inde probari potest.

Primo repugnat idem simul esse idem ipsum, & non ipsum, sive ipsum, & aliud à se ipso, sed res, quæ semel ab altera distinguitur est alia ab illa: ergo repugnat illas identificari realiter inter se. Patet consequentia, quia iam simul esset illarum quælibet ipsa, & non ipsa, vel alia à se ipsa, & ipsa.

Secundo, demus Deum res quæ sunt inter se idem realiter efficere, ut distinguantur realiter: rogo, quo pacto id Deus efficeret, vel dividendo eandem, & unam entitatem in duas, vel eandem iam productam iterum reproducendo, atque secundum diversas actiones, & productiones quas terminat illam multiplicando, vel somniat insanus id affirmans modum alium quo id possit Deus efficere; ego enim illum, nec cogitare possum, at non primo, neque secundo modo: ergo nullo; non primo, quia Angelus, item & animus rationalis sunt entia indivisibilia: ergo non poterunt distingui realiter à se ipsis per divisionem, neque in seipsis per separationem. Secundo, quia neque in materialibus, & corporeis, nam divisio in illis, vel esset essentialis vel integralis, hoc est vel terminaretur ad partes essentielles vel ad integrales: at neutra efficere potest, ut id, quod erat idem secum se differat à se ipso realiter, divisio enim essentialis terminata ad animum, & materiam solum dissolvit harum inter se unionem, quæ non minus realiter differunt corrupta unionem quæ unitæ inter se in toto composito, ut de se patet; divisio etiam integralis non efficit partium integralium inter se actualem distinctionem, sed illam potius supponit, & evitendo unitivam eas inter se solum disjungit efficitque, ut quæ in composito integrali corruptæ erant, solum partes distinctæ ratione diversorum terminorum intrinsece easdem terminantium habeant rationem totius, & ut talia distinguantur: ergo, neque item Deus id potest facere eandem rem bis producendo, quia inde solum fieri actiones solum productivas ex natura rei distingui, non tamen terminum illarum, sed eundem, utramque vel plures actiones terminare ut de se patet: ergo.

Quibus positis, difficilis est assignatio definitionis essentialis distinctionis, quæ realis vocatur, nam tot sunt sententiæ, quot capita.

Basolis enim in 2. dist. 22. q. 2. art. 1. post medium, distinctionem realem ita definit: illæ sunt distinctæ realitates, quæ sunt aliqua positiva extra intellectum, non eadem per se primo modo, & quorum neutrum ex sua immensitate includit realitatem alterius.

Basoli resistit Gil. lib. 2. tract. 5. cap. 3. num. 11: aitque distinctionem traditam, & definitam communem esse rebus & modis, modi enim imprimis sunt quid positivum; deinde sunt etiam extra intellectum: tandem tam inter se, quam à rebus, quarum sunt modi distinguuntur per se, primo modo hoc est non sunt eadem inter se per se primo modo, sive ut definitio definitum. Postremo ultimam particulam, & quorum neutrum, &c. confutat inde, quia plura sunt, ait, in creatis, quæ finita sunt, & limitata incapaciaque immensitatis, quæ solum inter se distinguuntur formaliter, & quorum quodlibet realitatem alterius includit.

Neutrum probo, non Basolem, primo quia obsecure, ut assolent Scotistæ realem distinctionem de-

X x 3 finit,